

expetere sub finem regni israelitici, aut regni Juda, adeo debilitati ab assyriis et chaldæis, potissimum vero sub Antiocho Epiphane, at tamen nemo per id temporis vel suspicatus est de Messia adventu. Contra vero sub Herode omnes tenebantur hac expectatione, ut suo loco ostendimus. Diversæ autem hujus agendi rationis quænam causa esse potuit in adversariorum hypothesi? Series igitur factorum stultum systema rationalistarum eliminat ac plane subruit.

Hoc autem amoto fundamento, ruunt quæ vere *fixerunt* adversarii de notione theocratia, de novo ac felicissimo imperio, de feliciore temporum spe a prophetis et libris *apocryphis* (deuterocanonicis) adumbrata. Hæc enim omnia, supposita Messia promissione atque expectatione tanquam basi et fundamento, riteque intellecta, ut postea exponemus, bene coherent, promissione et expectatione sublatis, nulla amplius ratione subsistunt. Aliud quippe est rei veritate posita eam diversimode exponere et amplificare, vel etiam prout est perperam intelligere, quod plerisque carnalibus Judæis contigit sub finem præsertim ipsorum reipublicæ, ut enucleatius declarabimus, aliud vero est rem totam de suo, ac solo imaginationis ferventioris æstu sibi confingere. Hoc enim postremum non nisi paucorum est, nec nisi ad tempus contingere potest, ac facile evanescit. Expectatio autem Hebræorum perpetua fuit ac totius nationis, nulla secta excepta, ita ut adhuc perseveret (a).

Ad 4. N. Nec enim in cit. Danielis locis sermo est de imperio aliquo *ideali theocratico*, sed de *reali* regno Messia, quod in æternum, ut ibidem dicitur perstare debet, consumptis monarchiis illis pristinis, quæ viam quodammodo juxta divinæ providentiæ ordinem ipsi paraverant, ut ex historia compertum est. Quod si quasi *Filio hominis* qui cum nubibus veniebat, ut legitur Dan. VII. 13. seqq. et usque ad thronum Altissimi pervenit, data sunt potestas et honor *et regnum*, et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servire perhibentur; si potestas, quæ ei confertur, est potestas æterna, quæ non auferetur et *regnum ejus* non corrumpetur, patet plane distingui *Filium hominis* a monarchia, quæ eidem traditur. Nec obstat quod in visionis istius expositione dicitur v. 18. « Suscipient autem regnum Sancti Dei altissimi; et obtinebunt regnum usque in seculum, et seculum seculorum. » His enim verbis significantur omnes illi populi, tribus et linguæ, qui ex v. 14. servient Filio hominis, id est Messia, quique ejus regnum seu ecclesiam constituent, prout contextus exigit, alioquin hic absurdus sensus exurgeret; monarchia

(a) Hic animadvertendum est fictiones poeticas vatum græcorum et latinorum nunquam integras nationes pervasisse, multo minus perpetuo et constanter perdurasse secus ac in casu nostro acciderit. Dummodo tamen proprio systemati inserviant, absurda quæque devorant rationalistæ ceteros incredulos imitati.

serviet monarchiæ (a). Hinc de peculiari persona, non autem de symbolico emblemate, ut adversarii existimant, tota antiquitas, quæ dicuntur de *Filio hominis* ac præcise de Christo, exposuit et explicavit (b).

Quæ autem ib. c. XII. 2. de mortuorum resurrectione et judicio extremo dicuntur, ac de Filio hominis, qui c. VII. cum nubibus cæli apprensus describitur (non vero *figitur*, ut adversarii mentiuntur) Christo ipso interprete de secundo ac glorioso ipsius adventu intelligi debent, ut suo loco exposuimus (c). Quem quidem adventum multæ calamitates, eodem Christo testante Matth. XXIV. prævenient. Hæc autem omnia rationalistæ permiscunt atque confundunt contra apertam Christi et Apostolorum doctrinam, ut sua systemata vere ficticia nobis obtrudant et christianam religionem e fundamentis subruant.

PROPOSITIO II. — *Messias a Deo promissus atque ab Hebræis expectatus singularis et unicus est.*

Etenim Messias a Deo promissus atque a Judæis expectatus singularis atque unicus est, si talem postulent tum scriptura, tum universalis et constans sensus traditionalis ipsorum Judæorum, tum denique peculiare notæ et characteres, quibus idem Messias instructus perhibetur; atqui.

Jam vero etsi scripturæ interdum Christi seu Messia nomen aliis etiam hominibus tribuant, sacerdotibus præsertim ac regibus, cum tamen hic non de nomine sed de re quæramus, perpetuo loquuntur de peculiari aliquo promisso reparatore quem *משיח*, seu per antonomasiam Christum seu Messiam appellant. Sic Gen. III. ille promittitur, qui conterat serpentis caput: Genes. item XII. XVIII. XXII. ille in quo benedicendæ sunt omnes gentes: Genes. demum XLIX. sermo fit de eo, qui prænnunciatur ut ille qui mittendus est, atque erit expectatio populorum, seu ut in hebr. legitur, ille cui obedientia erit populorum. E Davidis familia origo trahenda ab eodem, ubique prædicitur, atque hinc factum est, ut Messias filius David passim in sacris litteris vocetur. Huc spectant epochæ quibus determinatur futurus ejusdem Messia promissi adventus, cum nempe ablatum fuerit sceptrum a Juda, ut dicitur Gen. XLIX. vel cum ad finem vergerent LXX. hebdomades Dan. IX. et ante destructionem templi zoro-babelici Agg. II. et Malach. III. quæ quidem aliaque ejusmodi nequeunt nisi de singulari Messia intelligi.

(a) Cf. Sanctium in h. I. Martini P. II. c. VII. § 7. seqq. et c. XIII. ex quibus constat quemnam fuerit constans Judæorum hujus loci Dan. expositio.

(b) Ibid. cf. præterea Schoettgenium Horæ hebraicæ Dresdæ. 1742. t. II. lib. II. p. 265. ubi ex Schar Gen. fol. 85. col. 558. refert in h. I. Dan. « Hic est Rex Messias de quo scriptum est » etc. Tum id ipsum ostendit ex confessione Raschi, R. Aben Ezra, R. Saadia Gaon, R. Bechai, ex Sanhedrin, etc. Vid. etiam Jo. Ben. Carpzovii Diss. De *Filio hominis ad Antiquum dierum delato* ad cap. VII. 15. 14. Dan. in Thesaur. theolog. - philolog. Amstelod. 1701. vol. I. p. 887. seqq.

(c) Tract. de Deo creat. P. III. n. 903. seqq.

DIFFICULTATES.

Huc accedit perpetua et constans Judæorum traditio de expectatione unius singularis Messia (de qua in prop. superiori), qua factum est, ut neque Judicum ac Samuelis ætate, neque Davidis aut Salomonis, aliorumve sive Judæ sive Israel florentissimorum regum ac principum, neque demum Machabæorum temporibus quisquam Messiam apparuisse diceret, licet plures ex ipsis judaicam gentem ab immatissimo jugo liberaverint; contra vero Judæorum fatiscente republica omnes ex scripturarum oraculis atque avita traditione edocti Messiam præstolabantur; etenim Luc. III. 15. de Jo. Baptista legitur: « Existimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, tum forte ipse esset Christus (a). » Eadem habentur Jo. I. 19. seqq. ubi agitur de solempni sacerdotum ac levitarum legatione ad eundem missa ut eum interrogarent, num ipse esset Christus: ac rursus ib. IV. 25. mulier samaritana tanquam de re omnibus comperta inquit « Scio quia Messias venit; » demum Matth. II. 2. Magi ex gentilitate orti pro certo id sumentes fidenter interrogant: « Ubi est, qui natus est rex Judæorum (b)? » Nec quispiam extitit inter principes sacerdotum et scribas populi a quibus sciscitatus Herodes est, ubi Christus seu Messias nasceretur, qui hæsitaret, sed exponentes de eo Michææ vaticinium in Bethlehem Judæ Messiam oriturum pronunciant (c). Id ipsum habetur ex Josepho Flavio de Bello judaico I. IV. c. V et alibi (d).

Peculiares demum characteres et notæ, quibus propheta Messiam venturum instructum iri denunciant, munia item ac officia ab ipso obeunda de quibus postea agemus, luce meridiana clarius ostendunt in tota scriptura non agi nisi de determinato ac singulari Messia. Isaias enim passim describit mites Messia mores, comitatem, justitiam, præsertim vero c. XI. 1. seqq. XLII. 3. LXI. 1. Sic tam ipse, quam propheta reliqui eum exhibent vocaturum et docturum gentes aliaque ejusmodi perfecturum, ut ex dicendis enucleatius patebit.

Sive igitur scripturas consulamus, sive perpetuam gentis Judaicæ traditionem, sive characteres et notæ Messia proprias, constat Messiam a Deo promissum atque a Judæis expectatum, unicum prorsus ac singularem esse, prout ostendere instituimus (e).

(a) Προσδοκῶντος δὴ τοῦ λαοῦ, καὶ διαλογιζομένων πάντων ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν περὶ τοῦ Ἰωάννου, μήποτε αὐτὸς εἴη ὁ χριστός.

(b) Πῶς ἐστὶν ὁ τεύθειε βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.

(c) Post adeo disertum s. Matthæi testimonium, et auctoritatem Luc. II. 4. seqq. quis unquam suspicatus esset quempiam in dubium revocaturum utrum Christus Jæsus natus sit in Bethlehem? Attamen ex bibliis rationalistis Kaifer Bibl. Theol. p. 250. seqq. serio se demonstrasse confidit Jæsum in oppido Nazareth natum fuisse, atque ut addit Wegscheider *argumentis quidem haud spernendis*. Scilicet perquam opportunè in istorum manus scripturæ venerunt.

(d) Archæol. lib. XX. c. V. §. 1.

(e) Quemnam fuerit antiquis Judæis in Messiam

Obj. 1. Hebræi facile in animum induxerunt suum ex proprio cætu quempiam surrecturum fore de illorum virorum genere, quos Isaias describit sapientia præditos atque intelligentia, spiritu boni consilii et fortitudinis, 2. idoneos ipsorum prophetarum exemplo ad evertendas oppressorum machinationes, ad excutiendos animos, atque ad omnia adversa superanda, ut hac ratione populus subito quodam transitu ex malo ad bonum, ex servitute ad libertatem, ex abjectione ad honorem adduceretur, 3. Quare Messias seu liberator naturæ limites non prætergreditur juxta hebraicam doctrinam. 4. Quid sane portendit Balaami vaticinium nisi stellam, quæ orietur ex Jacob, ac radicem quæ surget ex Israel ad populum firmandum ut fortiter agat? 5. Post Josue unaqueque oppressionis periodus suum peperit liberatorem, sive Messiam. Cyrus licet idololatra in scriptura vocatur *Salvator et Christus* ob id tantum, quod finem posuerit captivitati babilonica ac media suppeditaverit ad rempublicam restituendam (Num. XXIV. 17. 18. Jud. II. III. VI. XI. etc. Is. XLV.) 6. Quoties demum post *magnam dispersionem* ementiti Messia Hebræorum imaginationem excitarunt, toties id consecuti sunt per sacras voces *legis ac libertatis*. Talis fuit impavidus Barcochebas quem ceu legitimum Messiam recepissent, si quod aggressus est facinus feliciter explevisset; talis sec. XVII. turbidus ac debilis Sabathai Sevi (a). Si quis igitur quærat num Messias advenerit, num vero adhuc venturus sit, responso in promptu est, tum jamdiu eum advenisse, tum superventurum adhuc esse. Ergo.

R. Ad 1. N. quod assumitur, Hebræos scilicet non nisi sequiori ævo ideam seu notionem Messia ex legis comminationibus et promissis sibi cudisse; certo enim certius est ejusmodi ideam, seu potius promissionem Messia ipsi mundo coævam fuisse et lege mosaica anteriorem, ut ex dictis apertum est; Moyses locis cit. eam supponit; Job XIX. 25. professus est suum expectare *Redemptorem*, nempe Messiam, et quidem spiritualem atque divinum. Profecto gentes omnes longe inter se dissitæ, quibus nulla fuit cum Hebræorum gente communicatio, in lege mosaica Messia notionem reperire non potuerunt. Repugnat propterea scriptu-

fides diligenter excussit et expendit Petrus Cumæus lib. III. De republ. Hebræor. c. IX. quem cf. in Thesaur. Ugolini T. III. 910. seqq. cum not. Jo. Nicolai nec non Heideggerus Hist. Patriarch. exercitat. CXI. p. 96. seqq. Major in Theol. Judaic. Loc. VIII. de Messia.

(a) Ita Salvador op. cit. T. III. liv. IV. p. 365. De quo Sabathai Sevi scribit in nota « Il étoit né en Syrie, et il produisit une vive sensation chez les juifs de Constantinople et de tout l'Orient, même chez les occidentaux. Le sultan le fit jeter en prison et lui offrit le turban ou d'être empalé; il n'hésita point, mais, malgré son zèle à paraître bon musulman, on lui donna bientôt la mort. »

ris ac factis ipsis nova theoria ab adversario excogitata.

Ad 2. N. tum ob rationum momenta quae adducta sunt, tum ob falsam adversarii assertionem, quod prophetae scilicet evertent oppressorum machinationes, animos excusserint juxta auctoris sensum, fabulae enim ejusmodi assertiones sunt ab ipso confictae. Illud quippe prophetarum fuit munus, populi praesertim judaici vitia reprehendere, validos animos ad omnem virtutem excitare, ac Messiae adventum praenuntiare, non quidem ut temporalis liberatoris, quemadmodum adversarius autumat, sed spiritualis, qui nempe peccata auferret, justitiam adduceret, gentes ad verum Dei cultum revocaret, aliaque praestaret ejusmodi, quae in liberatore ab adversario confictum cadere nequaquam possunt (a).

Haud inficiamus tamen serioribus temporibus Judaeorum animos generatim occupasse ideam etiam de liberatore temporali, quod ex Luc. XXIV. 21. Act. I. 6. aliisque locis N. T. constat. Verum ne ullus errori detur locus, duo quae nequeunt commisceri discernamus oportet, nempe ideam primogeniam et originariam ab idea adscititia, et superinducta. Idea enim primogenia et originaria quam exhibent sacrae litterae est prorsus de Messia spirituali, ut ex citatis locis apparet; postea autem sensim, ut ita dicam, ac sine sensu adjecta alia est de liberatore temporali, non ita tamen, ut prior excluderetur, sed utraque Messiae spiritualis et temporalis conjuncta idea erat. Sane Messiae spiritualis, legislatoris, prophetae, thaumaturgi ideam semper obtinuisse penes judaicam gentem abunde constat ex Luc. III. 15. Jo. I. 19. IV. 25. VI. 14. VII. 31. aliisque locis passim. Quod si in plerisque, subsequentibus praesertim temporibus, invaluit notio Messiae tanquam temporalis liberatoris, ideo id factum est, quod Judaei vaticinia, quae secundum Messiae adventum respiciunt, cum vaticiniis de primo ejusdem adventu confuderint, vel etiam quia carnali ac materiali sensu ea intellexerint, quae de spirituali ipsius Messiae gloria ejusque regno sive ecclesia sub materialibus ac symbolicis imaginibus adumbrata, praenunciata erant. (b)

(a) Cf. Sherlock Usage et les fins de la prophétie, en six discours. Vid. praesertim Discours III.

(b) Antiquiores Hebraeos puriorem ideam habuisse de Messia persona ac munere evidenter constat ex iis, quae erudite scribit Schœtgenius in Horis hebraicis et thaludicis tom. II. lib. I. capp. I. et II. de nominibus Messiae, tum toto libro III. qui est de persona Messiae, innumeris prope eorum testimoniis in medium productis; nec non tom. I. diss. I. de Regno caelorum, in qua §§. VI. VII. ostendit nomine Regni caelorum praeter cultum Ecclesiae V. T. significari Regnum Messiae, et tempora Messiae et oeconomiam illorum una cum aliis circumstantiis eo pertinentibus, adducto testimonio ex Targum Michae IV. 7. « Et revelabitur ipsis regnum caelorum in monte Sion a nunc et usque in saeculum » et confirmat tom. II. L. I. cap. II. §. 3. ex Pesikta in Jalkut Simeoni II. fol. 178. r. et Scin Ascirim rabbu fol. 45. 2. « Quando tempus accedet, Regnum caelorum revela-

Ad 3. D. Juxta doctrinam hebraicam seriorum temporum, Tr. antiquitus receptam N. Veteres enim Hebraei non diversam sibi Messiae efformarunt notionem ab ea, quam scripturae et traditio ipsis patefecerunt. Porro ejusmodi fontes constanter ingerunt ideam Messiae, qui naturae limites praetergrederetur ut Ps. II. 7. Is. VII. 14. IX. 6. seqq. XI. 1. seqq. et alibi passim (a). Imo certo certius

bitur הנהגו זמנה של מלכות שמים שתגלה tunc implebitur illud Zachar. XIV. 9. « Illo tempore Deus erit Rex in universam terram » aliisque multis, quae locis cit. recoli possunt. Quibus addi potest hunc usum loquendi communem fuisse Christi aetate, alioquin Jo. Bapt., Christus, Pharisei et auditores ipsorum formulam hanc neque protulissent neque intellexissent, attamen passim usurparunt, ut patet ex Matth. II. 2. X. 7. Luc. XVII. 20. et alibi passim, adeo ut illi, qui ex Judaeis, signis temporum probe expensis, adventum Messiae proximum cum gaudio excipiebant, dicantur προσδέχονται τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, « expectant regnum Dei » seu Regnum caelorum Luc. XXIII. 51. cui phrasi similis est illa προσδέχονται παράκλησιν et ὑπόσταν expectare consolationem et redemptionem, Luc. II. 25. 53. Orta autem videtur haec formula, quae antiquioribus Judaeis et sanioribus post captivitatem in deliciis erat, et Dan. VII. 13. 14.

Haec volui aliquanto fusius disputare, primo ut pateat luculenter insedis Hebraeis sententiam de Messia ejusque regno spirituali et divino; secundo ut malam fidem detegerem recentiorum bibliorum rationalistarum praesertim Koppe Nov. Test. vol. VI. ad epp. ad Thess. excurs. I. de Regno Christi asserentium formulam מלכות השמים Regni caelorum neque in Targum, neque omnino apud Rabbinos de regno Messiae accipi, sed de peculiari Numinis supremi regimine, singularique Jehovah, qua sua gauderet civitas, tutela cujus quasi ministri reges in civilibus, in sacris vero rebus sacerdotes essent.

(a) Cf. W. Hengstenberg Christologie des alten Testaments etc. Christologia veteris testamenti etc. Berolini 1829. Part. I. sect. I. cap. III. de Divinitate Messiae in V. T. p. 215. seqq. ubi colligit textus, ex quibus constat Messiam futurum praedicari ut Deum et Filium Dei; nos saltem eos hic summam indicabimus: Ps. II. 7. Messias vocatur Filius Dei sensu proprio et non figurato; et v. 12. iudicium de inimicis suis ipsi tribuitur, et rebelles ad ipsum confugere monentur; Ps. XLIV. 7. 8. Messias vocatur Deus; Ps. CIX. 1. David ipsum vocat Dominum suum; v. 6. accipit a Deo proprium nomen יְהוָה, et iudicium super hostes suos ipsi ascribitur; Is. IV. 2. Messias vocatur צֶמַח יְהוָה germen Dei scilicet Filius Jehovah. Atque haec quidem de divina ejus natura dicta sunt; juxta humanam vero ex antithesi vocatur פִּי הָאָרֶץ פֶּתַח אֲרָצוֹת fructus terrae, natus ex Judaea, vel oriundus ex domo Juda. Is. VII. 14. indicatur juxta humanam naturam per illud nasci et Virgine: juxta divinam per nomen Immanuel nobiscum Deus. Item Is. IX. 6. denotationes seu characteres divinae naturae cumulantur. Prius nomen מִלְכָּא mirabile, ut indicetur tum in suo esse tum in suis actionibus supra conditionem seipsum naturae cursum elevatum esse; deinde nomen גִּבּוֹר אֵל Deus fortis, adjicitur; in antithesi denotatur ipsius humana natura et origo per verba filius natus est nobis. — Ib. XI. 40. paganae gentes modo religioso Messiam quaerere dicuntur. — Mich. V. 1. in antithesi ad temporalem Messiae ortum ex Bethlehem et ad nativitatem ex muliere (v. 3.) annuntiat eum aeterna praesistentia « Ex te mihi egredietur . . . et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis » et (v. 4.) ipsi tribuitur fortitudo et majestas Jehovah. — Os. III. 5. « Filii Israel . . . quaerent Dominum Deum suum et David regem suum » id est Messiam. Ubi verbum שָׁבַד studium sese Deo reconciliandi et ejus gratiam

est, ut productis monumentis ostenderunt eruditi viri, in antiquiorum Hebraeorum mentibus firmam semper inhæsisse persuasionem, unicum mediatorem inter Deum et homines, auctorem revelationis omnis, cui nomen Metatron apposerunt, nempe Messiam, identificari cum Deo ipso, ac proinde Deum esse, et supra naturae nostrae conditione positum (a). Hujus doctrinae ac traditionis vestigium apparet Jo. VII. 27. « Hunc scimus unde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit (b). » Imponit igitur Salvador lectoribus suis dum adstruit juxta doctrinam Hebraeorum Messiam minime praetergredi naturae limites.

Ad 4. N. Sed ex unanimi veterum, imo et recentiorum etiam Judaeorum, Balaami vaticinium supremum illum regem venturum, Messiam nempe, pro objecto habet, cujus adventus fama jam inde a remotissimis seculis Orientem totum pervaserat, qui populos sit debellaturus, et quo regnante, maxima rerum conversiones essent eventurae (c). Ex genere porro armorum ejus de-

acquirendi significat. — Sed insigne praeterea est ad rem nostram quod legitur Mal. III. 1. seqq. Jehovah ibi dicit, se legatum missurum, qui viam ante se sternal, et statim subditur, postquam hoc factum fuerit, Messiam appariturum. Igitur apparitio Jehovah et apparitio Messiae identificantur. Messias accipit nomen מָשִׁיחַ quod cum art. praefixo nullibi nisi de uno Deo invenitur. Haec summo Deo, duci theocratiae, regi israelitarum templum ut sua proprietates semper ascribitur. At juxta Malach. templum est proprietates Messiae. Istum igitur Deum esse, et cum Jehovah per unitatem naturae identificari aperte eruitur. Insuper v. 2. seqq. officium divinum, alioquin soli Jehovah ascriptum, nempe iudicium de improbis, ipsi Messiae tribuitur. — Cf. etiam Dan. VII. 13. 14. Zach. XII. 10. XIII. 7. Praecipua ex his vaticiniis suo loco expendemus.

(a) Ibid. l. c. p. 238. seqq. quibus patet ex antiquiorum Judaeorum doctrina eaque communi hunc Metatron non raro identificari cum Schechina, habitatione nempe Dei in mundo, identificari cum Deo ipso, a quo tamen distinguitur, persona scilicet; non esse Metatron creatum, sed emanatum, vocatur Metatron emanationis et creationis, qui apparuit Moysi in rubo; cum summo Deo unitate essentiae conjunctus perhibetur ut Dominus ipse et legatus Dei, princeps mundi, et visibilis manifestator Dei, aliaque ejusmodi ex Thalmude, ex lib. Sohar et Rabbiorum innumeris testimoniis ostendit. Haec ipsa documenta praeter Sommerum, Glaesenerum, Raym. Martini exhibet Schœtgenius op. c. t. II. de Messia lib. III. thesi II. seqq. adeo ut mirum sit incredulum Judaeorum salvadore potuisse firmiter adeo asserere ex Judaeorum doctrina non debuisse Messiam naturae limites praetergredi. Hoc est aperte se vel ignorantem vel mendacem prodere.

(b) Ἄλλα τοῦτον οἰόμενοι πῶθεν ἔστιν ὁ θεὸς χριστὸς ὅταν ἔρχεται, οὐδεὶς γινώσκει πῶθεν ἔστιν.

(c) Cf. De hoc vatic. praeter prooemium De-Voisin in pug. fid. ed. cit. p. 81. dissert. Willemeri de Stella ex Jacob oriunda in Num. XXIV. 17. quae reperitur in thesauro theol.-philolog. cit. Perperam De-Wette Kritik der Israelit. Gesch. seu critica historiae israeliticae p. 365. seqq. illud confictum in gratiam Hebraeorum autumat, et Bleck in dem bibl. exeget. Repertor. seu in Repertorio biblico exegetico post debellatos a Saulo ammonitas, zabæos et philisthaeos assutum censet. Nec Rosenmülleri conatus efficient

prehenditur qua ratione omnes filios Seth. seu ut habet Onkelos, omnes homines sit Messias vastaturus: « Percutiet terram, inquit Isaias, virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium (a). »

Ad 5. D. Unaqueque oppressionis perodus suum peperit liberatorem sive Messiam improprie dictum seu late sumptum, C. proprie dictum de quo loquimur N. Id ipsum dicatur de Cyro, aliisque omnibus, quibus communis fuit haec denominatio, regibus ac sacerdotibus, qui analogice Christi vocabantur seu Messiae ac Salvatores; alioquin cum iudices interdum Diu in scripturis vocentur, sequeretur vel nullum Deum esse proprie dictum, vel illos homines totidem Deos esse.

Ad 6. D. Spiritu vertiginis atque anticipatis iudiciis abrepti, C. juxta germanum scripturam sensum per traditionem antiquissimam expositum N. Verum de hoc postea.

Ex his responsio fluit ad conclusionem ex falsis principiis, seu potius ex gratuito ac singulari systemate adversarii deductam. Si enim nonnisi unus ac determinatus Messias a Deo in scripturis promittitur; si nonnisi unus ac determinatus ab universa Judaeorum gente expectatus est; si nonnisi de unico, singulari ac determinato mediatore, seu Messia omnium antiquarum gentium traditiones loquantur, patet eo denique controversiam adduci, ut quaeramus utrum venerit nec ne. Istud vero in sequenti capite excutere aggredimur.

CAPUT II.

DE EPOCHA ET OFFICIIS PROMISSI MESSIAE.

Nonnulli Judaei diuturni quo detinentur exilii, atque dilati Messiae adventus perlaesi in desperationem acti contendunt nullam a prophetis futuri Messiae peculiarem epocham statutam ac determinatam fuisse. Alii vero etsi fateantur ejusmodi adventus epocham reipsa determinatam esse, attamen dilatatum esse contendunt Messiae adventum ob demerita ac peccata quibus Hebraei se commacularunt, aut in dies coinquinantur. Alii demum censent quidem epocham adventus Messiae esse determinatam non solum conditionate, sed absolute; contendunt tamen nondum completam ejusmodi epocham esse. Nostrum igitur erit, duce praesertim cl. Jo. Bernardo Derossi (b), sequentibus propositionibus haec omnia effugia pracludere, ac simul ostendere ex officiis seu muniis a Messia juxta prophetas obvendis eum jamdiu advenisse ut non sit in aliud tempus expectandus.

totum hoc oraculum Bileami imposturam et fictionem esse. Cf. Bartolocci Bibliothecam magnam rabbinicam Romae 1675. P. I. p. 655. seqq. Cf. etiam Jo. Frid. Miegii Dissert. De stella et sceptro Bileamico in Novo thesauro dissert. Lugduni Batav. 1752. fol. tom. I. p. 425. seqq.

(a) Is. XI. 4.

(b) Della vana aspettazione degli Ebrei, ec Parma 1775.